DIANA PHACELITIS ET ORESTES APUD RHEGINOS ET SICULOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XV. MENSIS SEPTEMBRIS

PUBLICE DEFENDET

FRIDERIC. GUILH. SCHNEIDEWIN,

HELMSTADIENSIS,

SEMIN. REG. PHILOLOG. ET SOCIET. PHILOL. GOTTINGENS. SODALIS.

OPPONENTIBUS:

ADOLPHO GIEREN, PHILOL. CANDID.,

SOCIET. PHILOL. SODALI.

E. L. DE LEUTSCH, DR. PHILOS.,

SOCIET. PHILOL. OLIM SODALI.

GOTTINGAE MDCCCXXXII.

IMPRESSIT FRIDER. ERNEST. HUTH, TYPOGR. ACAD.

Quum pervagatum sit, veterum Graecorum colonias et in relicuis institutis publicis civitatis patriae specimen imitari et cum eorundem numinum religione ritus sacros quodam pietatis sensu solitas esse custodire, nihil nobis in hac disputatione habendum antiquius videtur, quam ut inquiramus, unde Rhegium oppidum freto Siculo proximum primos colonos Graecos acceperit. Sed ut in aliis coloniis patefacta origine de patria cultus Deorum non solet oboriri controversia, ita in hac colonia res difficultatibus impedita ex eo est, quod diversi populi casu incertum an divinitus sociati eodem tempore Rheginam civitatem fundarunt, Messenios dico et Chalcidenses Euboeae. Quorum alteri Dorica de stirpe erant, ad Jones pertinebant alteri. A Rheginis autem quum Latona natos sancta religione cultos videamus, Apollo quidem non potest esse obscurum, unde originem traxerit. Sed Diana utrique populo communis, cujus alia apud Dores, alia apud Jones indoles fuit Deae, utrum Delphis commigrarit Rhegium, an Euboeam patriam habeat, in incerto esse Muellerus dixit, Dorr. I. p. 369. Quam dubitationem dum studebimus eximere, in explicanda prima civitatis initia descendendum erit.

Chalcidenses Euboeae quum ob agrorum sterilitatem inopia victus conflictarentur [1]), oraculi jussu moniti juvenes suos decumatos, uti moris erat [2]), ad Apollinem miserunt Delphicum, v. Strab. VI. p. 258. Cas., Heracl. Pont. 25., cll. Diod. Excerptt. Vatic. p. 11. Mai. Apollo hos homines, ad quos se aggregaverant alii Chalcidenses domo assumpti, postea Rhegium coloniam condere jussit. Quod tum fieri solebat, quum numerus servorum circa templum Delphicum, quae fere sors ejusmodi homines mansit, in nimiam magnitudinem excrevisset.

Eodem tempore accidit, ut pars Messeniorum patria exturbata Macisti Triphyliae commoraretur. Qui cur exsularent, caussa haec fuit. Namque in finibus dicionis Laconicae et Messeniae, Dentheleatem agrum vocabant, Limnae sitae fuerunt, locus ob sanctam Dianae Limnatidis religionem conspicuus. Utrique populo id *χωρίον* a vetustate temporum commune fuisse praeter Paus. IV, 4, 2. testatur Strab. VIII. p. 362. *κοινὴν συνετέλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι.* Verum et antea de

1) Injuria hanc expeditionis caussam elevavit dubitando Lorentz. de orig. vett. Tarentinor. p. 36.

2) *δεκατευθέντας*; Diod. l. c. *οἱ ἐκ τῆς δεκάτης ἀνατεθέντες Χαλκιδεῖς ἦλθον χρησάμενοι* (leg. *χρησόμενοι*) *περὶ ἀποικίας.* Longe accuratius Strabo. Hinc Apollo *δεκατήφορος* apud Megarenses, Muell. Dorr. I. p. 229; de Cretensibus et Atheniensibus vid. ibid. p. 242. Eadem ratione auctoritas Apollinis Delphici movit Magnetes, ejusdem condicionis homines, ut Cretam peterent, unde in Asiam minorem transgressi Magnesiam ad Maeandrum condidere, Muell. Dorr. I. p. 258. Messapios Italiae ab Messapiis Locridis, Thuc. III, 101, oriundos sacram Delphici templi coloniam fuisse monstrat v. d. in Museo Philolog. Britann. 1831, I. p. 142.

principatu delubri, quem uterque sibi arrogavit, jurgia efflagrarant, et Tiberii adeo tempore imperatoris Romani, utrius esset, Romae per legatos disceptatum est, utroque populo ad annalium memoriam vatumque carmina provocante, Tacit. Annall. IV, 43. Quo quum Lacedaemonii γενεᾷ ante bellum Messeniacum primum misissent virgines ad festum Dianae celebrandum, supervenerunt juvenes Messenii, qui florem virginum laeti decerperent iisque auxilia ferre et propulsare vim conatum Teleclum regem obtruncavere.

Ita haec accidisse narrabant Messenii exsules, conspirantibus Spartanis: quibus adversa jactasse Messenios relicuos, nemo mirabitur, qui culpam provocati belli a se amoliri conniterentur, v. Paus. l. c. Lacedaemonii quum publice poenas expoposcissent, in duas dirimebantur partes Messenii: justior altera et quae numen revereretur Deae neque injurias a Messeniis profectas infitiata neque poenas recusans, ab altera ista nefarie solum vertere coacta Macistum aufugerat Triphyliae. Unde Delphicum adiere Apollinem, quomodo salvi evaderent, perditi jam, sciscitaturi. Non enim par atque aequum esse, se his calamitatibus circumveniri, ipsius sorori civium procacitate violatae suppetias ferre ausos. — Neque frustra Delphico Deo rem committunt: adjunguntur ad Chalcidenses istos Rhegium petituros. Sorori gratiam jubentur habere salutis: patriam enim ipsorum μικρὸν ὕστερον a Lacedaemoniis iri subactum. Ita haec Strabonem maxime secutus enarravi: omnem rerum nexum turbat memoria Heraclidis, qui l. c. casu incidisse Chalcidenses in Messenios Macisti commoratos scribat. Fecissent iter Chalcidenses, si Heraclidi fidem adjungeremus, compendiarium in eandem normam,

quasi quis Helmstadio Brunsvigam profecturus non praetermitteret Halberstadium. Ceterum silentio transimus quae diversa de colonia Rhegina condenda traduntur: spectemus ea, quae fini disputationis conducibilia sunt. Illud certe obtinebimus certissimum esse, eodem tempore Chalcidenses cum Messeniis sociatos Rhegium venisse: primum, quia veteres auctores testantur locupletissimi: tum, quia alias Messeniae gentes vix poterant ad gubernacula reip. sedere. Quare dissentio a Wachsm. Antiqq. Gr. II, 2. p. 195., ne commemorem alios. Primam istam coloniam, nam diversis intervallis temporum plures successisse Messenios, non nego, paucis ante bellum Messeniacum I. annis Rhegium fundasse censeo. Cui sententiae ne quis putet obniti testimonium Aristotelis ap Strab. X. p. 447., qui tum demum scribat Chalcidenses deduxisse colonos, quum Ἱπποβόται remp. administrarent, non constat, quo illi tempore remp. capessiverint. Et ne tum quidem obesset haec gravissima Arist. memoria, quoniam interest inter colonos certo consilio in alienas sedes deductos et homines Apollini traditos, post secedere jussos. Ceterum ἱπποβότας ad remp. moderandam admotos judicavit Rad. Rochett. hist. col. Gr. III, p. 198. Ol. X.; cujus calculum comprobavit C. Fr. Hermann., Mus. Rhen. 1832. I. p. 93.

Congruens est, hos colonos ex more Apollinis ἀρχαγέτου religionem debuisse instituere, uti omnes coloniae a Delphico Deo emissae, quae fuere plurimae. Nec Dianam poterant negligere, ob quam pars altera colonorum a se defensam et excidisset et communem patriae ruinam evitasset. Ut autem Delphis juncti Πυθῶνος αἰπεινᾶς ὁμόκλαροι ἕποπται, Pind. Nem. IX, 5., ita Rhegii conjugati fuerunt.

Praevideo fore, qui ita disputent, ut, quum uterque populus a Delphico Deo societatis vinculis ligatus profectus sit, probabile esse dicant, in religionibus instituendis amice utrumque conspirasse. Quod secus est: Chalcidensium alia plane condicio fuit, atque Messeniorum: illi oraculi mancipia servitutem serviebant: Messenii, licet numero, ut consentaneum est, inferiores [3]), horificentius habiti videntur. Quare quum acceperimus, ad Anaxilam usque tyrannum Messenios Rheginos gessisse summos magistratus, Strab. l. c. οἱ τῶν Ρηγίνων ἡγεμόνες μέχρι Αναξίλα τοῦ Μεσσηνίων γένους ἀεὶ καθίσταντο, (Anaxilas ipse a Messeniis genus duxit, qui teste Thuc. VI, 5. Zanclam Μεσσήνην ἀπὸ τῆς ἑαυσοῦ τὸ ἀρχαῖον πατρίδος ἀντωνόμασε), non improbabilis fuerit suspicio, in administrandis rebus divinis non minores ipsorum partes fuisse, quam in civitate regunda.

Ut ad Dianae originem scrutandam sermonem deducamus, colebatur ea in Euboea ut Προσηῴα in Artemisio litore, Αμαρυσία juxta Eretriam, Inscript. ap. Spanh. Call. Dian. 188., Paus. I, 31, 3., Strab. X, p. 332., in monte denique Cotylaeo. Λιμένας Εὐρίποιο ei placuisse Callim. scribit l. c. Nam et in Boeotico litore cultam Dianam esse, vel caussa Iphigeniae documento est, v. Welcker. Theogn. p. 115. Rhegii *Phacelinae* nomine ornatam scimus fuisse, quod et ex nexu fabulae Ore-

---

3) Hinc explicatur, cur aliquot scriptores Rhegium *Χαλκιδέων ἀποικίαν* dixerint simpliciter, v. Diod. Sic. XIV, 40. Dionys. Hal. ιζ', 3. Mai. Non satis accurate locuti illi, sed ex praevalente incolarum numero. Ita apud Thuc. VI, 44. rogantur, ut auxiliari Leontinis velint, Chalcidensibus Chalcidenses.

steae, in quam statim inquiremus, apparet, et diserto testimonio nititur Pomponii Sab. in Virg. Aen. II, 116. *„cujus nominis colebatur apud Rheginos.“* Eaque unde apportata Rhegium sit, non jam erit obscurum.

Refert enim Paus. III, 16, 6. Limnaeam regionem, qui erat vicus Spartae, Dianae Orthiae sacram esse: τὸ ξόανον autem Deae fabulari incolas Orestem olim et Iphigeniam cum Pylade ex Taurica furatos ibi deposuisse. Pergit Paus. 16, 7. καλοῦσι δὲ οὐκ Ορθίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ Λυγοδέσμαν τὴν αὐτὴν, ὅτι ἐν θάμνῳ λύγων εὑρέθη, περιειληθεῖσα δὲ ἡ λύγος ἐποίησε τὸ ἄγαλμα ὀρθόν. Λυγοδέσμαν autem non discrepare a Phacelina, declarabimus infra. Jam vero cum summa specie veri ex Limnarum nominis communione liceret statuere, uti in suburbio Spartae, ita in agro Dentheleate Dianam Λυγοδέσμαν nuncupatam fuisse, hinc Rhegium migrasse cum istis, quos praediximus, Messeniis. At non opus conjectura est, siquidem Strabo VIII. p. 362. testis est: ἀπὸ τῶν Λιμνῶν τούτων (quae fuerunt in confinio Lacon. et Messen.) καὶ τὸ ἐν Σπάρτῃ Λιμναῖον εἴρηται τῆς Αρτέμιδος ἱερόν. Unde perspicitur luculenter, Dianam Λυγοδέσμαν ab illo sacro commigrasse et Spartam et cum Messeniis Rhegium.

His ita absolutis, de fabula Orestis Rhegii lustrati rectius, quam antehac factum est, licebit judicare.

Orestes necata impia matre, ita fabulae ferebant [4]), in furorem conversus, oraculum adiit Del-

---

4) Nihil dico de diversitate fabularum; teneamus ea, quae ad hanc rem dilucidandam faciant. Vulgares de Orestis fatis mythos nuper collegit Westrik de Aesch. Choeph.

phicum. Tulit responsum, se tum demum depositurum furorem, si recuperata sorore Iphigenia apud Thoantem, Tauricae regem, quae Graecis ab initio Lemnus insula fuit, v. Muell. Orchom. p. 310., sacerdotis munere functa in templo Dianae, ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur, Prob. praef. Virg. Bucol. II. p. 348. Lion., sive, ut loquitur Gramm. de carm. bucol., Theocrito praemitti solitus, χρησμὸς ἐξέπεσεν, ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι, non accurate locutus ille, Orestem jam ἐκκομίζοντα Tauricae Deae simulacrum oraculum accepisse demum. Euripideam fictionem secutus Pomp. Sab. Virg. Aen. II, 116. jam expiatum Tauricam scribit adisse. Septem illa flumina quae nominantur, aperte spectant ad religionem Apollineam, τοῦ Εβδομαγέτου, τῇ γὰρ ἑβδόμῃ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ, Hes. Opp. 771., eoque die sacrificia ei oblata Spartae Herod. VI, 57., cll. Welcker. Trilog. Aesch. p. 65. Neque de nihilo flumina monstrata debent videri ex eodem promanantia fonte. Cujus rei vim quandam in lustrationibus hominum esse, veteribus videtur persuasum fuisse, quae observatio proderit explicando loco subobscuro, qui est Aesch. Choeph. 70 sqq. Argonautarum confundens expeditionem cum Hygin. fab. 261. Colchis Dianae effigiem reportasse Servius auctor est in Aen. II, 116. — Pergit Probus, Orestem diu vexatum reperta tandem sorore in Scythis venisse ad fines Rheginorum ibique invento flumine illo elutum. Gramm. Theocr. l. c. ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις δια-

p. 48 sqq. In qua explicanda fabula nos versamur, non attigit.

χώροις ποταμοῖς. Quam lustrationem Rhegii factam non figmentum fuisse nescio quod ingenii poetici nescio cujus, sed de cujus veritate incolis persuasum esset, evincunt haec. Nam Varro in X. Humanar. ap. Prob. l. c. »*Apud Rhegium fluvii sunt continui septem, Latapadon, Migodes, Eugyon, Stacteres, Polme, Meleissa, Argeades.*« Quos rivulos, undique, opinor, arcessitos, septimanus ut compleretur numerus, maximam partem apparet corrupta gerere nomina, sed in quibus emaculandis frustra omnis labor insumatur. Unius *Argeadis* tenella superesse memoria videtur in *Arciade* tabulae Peutinger., quae locum non longe removet a Rhegio; quod utrum oppido nomen sit, necne, dubitare se profitetur Cluver. Ital. antiq. p. 1298., pro certo ponit Hermann. de Aesch. Glaucis Opusc. II. p. 73. Potest sane fluviolus posthac nomen dedisse oppidulo, uti Taras Tarento, Acragas Agrigento, Himeras Himerae al. Parmam sive Palmam, quae apud Varronem *Polme* scribitur, huc non traxerim cum Hermanno; Melissam, cujus incertus situs, lubrica memoria, repudiavit ipse. Ut diffidamus nominibus illis, facit auctoritas Catonis, qui in III Origg. ap. Prob. l. c. tradidit: „*Rhegini Taurocini vocantur de fluvio, qui praeterfluit. — In eorum agro fluvii sunt sex; septimus finis Rheginorum atque Taurinum dispescens. Fluvio nomen est Paccolico.*“ Quod *Taurocini* vocantur Rhegini, *Tauriana* regio, (nam ita rectius videtur scribi; ap. Plin. hist. nat. III, 5, 73. quod vulgatur *Tauroentum* Cluver. l. c. in *Taurianum* mutandum censuit, eaque emendatio veteribus libris Dalecampii apud Sillig. corroborata reponenda erit) in finibus Rheginorum *Metaurus*, et urbs et fluvius, patet, nisi meus me animus fallit, quo

spectet. Nam ex *Taurica* venisse Orestem Dianaeque *Tauricae* apportasse effigiem, mentibus illorum hominum fixum haesit. Nomen *Paccoliai*, quem alii *Paccolinus*, *Taccolinus* scribunt, mirifice redolet Italum recentiorem, quem id substituisse germano nomini, quod fuisse *Metaurus* videtur, conjicias. Praeterea lustrationis Oresteae memoriam servat *portus Orestis*, v. Plin. l. c. Cujus de situ quum non certo constet, Rhegio propiorem aliquanto suspicor fuisse, quam vulgo statuunt, vid. Cluver. It. ant. p. 1293., qui *navāle Medmae sive Medamae* nihil ab eo differre, dubius conjicit. At id remotius est. Superstitio autem popularis in his fabulis ex antiquitate creditis non acquievit: superesse monumenta commorationis Oresteae facile sibi persuaserunt. Abiens inde, ita Varro narrat, ensem ferebatur reliquisse, qui diu fuit superstes. Cato adeo non longinquam asserit esse memoriam, quum ensis ille Oresteus, insigne matricidae [5]), ut in monumentis artis, in arbore repertus sit. Jure hic reponitur glossa Hesych. *Ξιφίρου· λιμήν.* Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποντίῳ (ita Ποτνιεῖ emendavit Herm. l. c.) *ὁ πορθμός. ταῦτα γὰρ πάντα τὰ περὶ* Ῥήγιον *ὡρείων.* Pro ξιφίρου Casaub. ξιφήρου. Vera scriptura est ξιφήρους, opinor, sive mavis ξιφόρου pro ξιφοφόρου, ut ἀμφορεύς pro ἀμφιφορεύς, alia. Corrupta relicua paene insanabiliter [6]) hunc viden-

---

5) Rectius hoc videmur statuere, quam ad impetus Furiarum defendendos ensem datum fuisse. In quem usum Apollinem Oresti arcum dedisse, Stesichorus fecerat in Orestea, v. fragm. 41. Klein. Veteris artis monumenta Muellerus describit Dorr. I. p. 332.

6) Eruditorum conjecturas, incertas omnes, v. ap. Dindorf. Aesch. fragm. 35.

tur flagitare intellectum: Aeschylium Glaucum regiones illas omnes circa Rhegium descripsisse a se obitas.

Hermannus eo loco, quem significavimus, postquam de Hercule cogitavit, cui Aeschylus fecerit Glaucum Pontium in fabula cognomine fata enarrantem, quum Geryonis armenta abigens in Italia inferiore versaretur, rejecta hac sententia videndum ait, ne Orestes potius sit is, cui fata canentem Glaucum poeta introduxerit. Verum nobis contra priscorum hominum religionem pugnare videtur, numen marinum (ἀνθρωποειδὲς θηρίον) fata praedicere homini, qui scelus commisit μητρόκτονον. Haec ad unum spectant Apollinem, quod vel ex Eumenidibus Aeschyli licet intelligere, ubi Apollo errores Oresti vaticinatus, licet in alia fabulae conformatione, ita v. 77. loquitur de Furiis Orestem insectantibus:

ἐλῶσι γάρ σε καὶ δι' ἠπείρου μακρᾶς,
ὑπέρ τε πόντον καὶ περιῤῥύτας πόλεις,

cll. v. 235., respiciens ille hos errores transmarinos. Praeterea Hermanni ratio non concordat cum disertis veterum scriptorum testimoniis, qui Orestem non tum demum oraculum accepisse scribunt, sed lustratum ibidem volunt. Ut Glaucus non circa haec loca ei tale quid praedicere potuerit. Ipse autem Glaucus in eas se regiones adnatasse profitetur, v. Aesch. Gl. ap. Schol. Pind. P. I, 152. Mihi quidem plane persuasum est, neque de Hercule neque de Oreste sermonem fuisse in fabula Aeschylia, et pulcherrime sensisse Welckerum, fabulam cum Phineo et Persis eadem trilogia comprehensam Glaucum fuisse non Potniensem, sed Pontium, v. Trilog. Aesch. p. 472. Append. p. 176 sqq. Quam Welckeri sententiam, Hermanno acri-

ter exagitatam et derisam, aliis insuper argumentis stabilivit Mueller. Gott. Gel. Anz. 1827. Nr. 68.

Postquam Herm. ad firmandam sententiam suam attulit, quae Gramm. Theocr. et Probus de Oreste Rhegii lustrato memoriae prodiderunt, subjicit: „Prorsus haec tenebricosa sunt, praetermisitque Cluverius, cui tamen lecta fuisse, ex p. 1298, 24. colligas.“ Quam obscuritatem, si modo potuerimus, conabimur dispellere. Dixit autem Cluver. de his rebus in Sicil. ant. p. 304 sqq., sed paucis et ut neque originem indagaverit fabularum et in compluribus rebus a vero aberrasse videatur [7]).

Templum Apollinis Rhegini [8]) ab Oreste exhibebatur exstructum, v. Prob., nec minus Dianae Phacelitidis simulacrum ab eodem allatum fabulabantur. Quod relicui praeter Probum Grammatici de iisdem rebus locuti Rhegium vel verbo tangunt,

---

7) Usurpavit Herm. praeter haec ea, quae Marafiotus in Antiqq. Calabr. ex ignoto libro Procli de oraculis protraxisse se gloriatur. Quae miracula sunt. Orestem narrat ex Proclo scilicet suo, in templo Proserpinae Vibone didicisse, destiturum furere, si Rhegii ablutus Dianae *Fascelidis* simulacrum erigeret. Jam ex his, quae merae nugae sunt, — quid enim Oresti cum Proserpina? quid, num Proserpina divino afflatu concitata subito oracula edere didicit? — poterat concludi, commentitia ea esse. Complura talia confinxit impostor impudentissimus, quae neque exstiterunt unquam et ne poterant quidem, uti Archiae poetae orationem habitam coram Rheginis, Themistoclis geographiam orientalem aliaque ejusdem farinae. Quas fraudes aperuit Leo Allat., v. Morisan. Inscrr. Regin. p. 11.

8) „*Apollo Major,*“ Inscript. VI. ap. Morisan. p. 266. Neque tamen caussa haec est, cur cum Morisano alterum Apollinis fanum statuamus fuisse Rhegii.

vel silentio praetermittunt, immorantur diutius in Oreste inde in Siciliam transgresso, ubi Phacelinae simulacro deposito festorum dierum solennitates instituerit, id quam rationem habeat, non potest ambigi. Occupantur enim in eo, ut sacra illa Dianae carmini bucolico originem defendant dedisse, qua gloria Sicilia non facile poterat fraudari. Verissime autem Lamprid. p. 103. Casaub. „Orestem quidem ferunt non unum simulacrum nec uno in loco posuisse, sed multa in multis.“ Ubicunque enim Dianae Ὀρθίας, Ὀρθωσίας, Φακελίτιδος, Ταυροπόλου, Λογοδέσμας vocatae, quam ex Taurica in Graeciam delatam arbitrabantur, florebat religio, simulacrum deae ortum debere Oresti solebant existimare. Ita non procul a Tegea templum Limnatidis fuisse Paus. VII, 20, 4. testatur: discimus ex Herod. I, 67. Tegeatas ossa Orestis sibi vindicasse. Attici Brauronem, Eurip. Iph. Taur. 1419., Halas 1430., Ariciam adeo ferebant attulisse, v. Donat. vit. Virg. p. XCII. Heyn., Hygin. fab. 261, Serv. Aen. II, 116. Porphyr. Hor. I. carmm. 7, 10. Ibi Nemorensis vocata, Buttm. Mythol. II, p. 145. Sed quae addit Lamprid. „postea quam se apud Tria Flumina circa Hebrum ex responso purificavit, etiam Orestam condidit civitatem,“ ea aliena sunt. Spectant haec ad ἐνιαυτοῦ κύκλον, quem jussu Apollinis et aliis in locis habitasse perhibebant et in Parrhasia, donec lustratus hominum commercio frueretur, v. Eur. Orest. 1644. Pherecyd. in Scholl. ad eum locum. Troezene ἐνιαυτίσαι Troezenii volebant, Paus. II, 31, 11. —

Hae fabulae Orestis, quae Rhegium spectant, nemo dubitabit, qui origines civitatis meminerit, quin cum religione Apollinis et Dianae, — nam

cum utroque numine caussa Agamemnonidae artissime cohaeret, — a colonis Graecis in illa loca apportatae sint. Nam quum Apollinis Delphici munus primarium constaret in lustratione hominum, qui se humano sanguine commaculassent, veterum Graecorum colonos ab oraculo Delphico emissos non mirandum est cum religione Apollinis et lustrationes instituisse, ut ipse post interemptum Pythonem expiatus dicebatur Deus. Pietas autem eorum flagitabat ut principem quendam ex vetustate ibi lustratum sibi persuaderent. Neque is alius poterat esse, quam ὁ περιβόητος Orestes, cum Delphico ἀρχαγέτᾳ conjunctissimus, Delphis expiatus. In qua re fateor fieri posse, ut Chalcidenses aliquid contulerint ad exornandam fabulam. Nam teste Hesych. Ὀρέστη. χωρίον Εὐβοίας, cll. Hecat. Europ. ap. Steph. Byz. s. v. Ορ., πόλις, quanquam incertum est, num Steph. urbem Euboeae intellexerit. — Ab altera autem parte Apollinis cohortationi obsecuti (ut Strabo refert, quod oraculum apertum est fluxisse ex re et veritate), venerabantur Dianam. Quae Limnis venerat; in eas autem Limnas, quae erant Spartae, Orestes effigiem deae dicebatur attulisse. Idem de simulacro, quod Limnae alterae tenebant, persuasum fuisse Messeniis, vix opus est admonere. Igitur non poterant non idem sentire de deae effigie Rheginae. Hinc jam luce clarius est, unde fabulae de Oreste Rhegino pullularint; hinc, cur alii Orestem ibi lustratum velint, alii Dianae ab eodem derivent simulacrum. Quae quidem fabulae persuasione populari pie exornatae fortasse a Stesichoro in Orestea non plane transmissae silentio erant. Ita ut statuam impellunt me plura, de quibus commodior alibi disputandi erit locus. —

Sequitur, ut cum veteribus Grammaticis Ore-

stem nostrum comitemur in Siciliam, ut, si fieri potest, illustretur, cur tandem veteres ita finxerint. Probi verba haec sunt: „*Elutus* (scil. Rhegii, quod probe tenendum; nam rerum complexum pervertunt, qui casu Orestem in Siciliam appulsum affirmant; ut Donato l. c. *circa Siciliam vagus* audit; tempestate ad Siciliam delatum Serv. Bucol. p. 95. vult.) *trajecit in Siciliam et juxta Syracusas a somnio admonitus simulacrum Deae, quod secum de Taurica advexerat, templo posito consecravit, quam appellavit Fascelitim, quod fasce lignorum tectum de Taurica simulacrum extulisset.*" Nisi mea me suspicio ludit, non satis accurate locutus Probus est. Nihil enim relatum legimus de Phacelina Diana juxta Syracusas culta. Seduxisse Grammaticum videtur vel carminis bucolici princeps Theocritus, qui Syracusas patriam habuit, vel Diana *ποταμία* ex Peloponneso cum colonis Graecis in Ortygiam propagata, cujus similis indoles fuit, atque Phacelinae. V. quae dixi ad Ibyci fragm. 35. Schol. autem Theocr. l. c. *ἔπειτα εἰς Τυνδαρίδα τῆς Σικελίας ἦλθεν.* Quae memoria egregie confirmat nostram de origine Dianae Rheginae sententiam. Namque Tyndaris et ipsa colonia fuit Messeniorum. Dionysius prior, tyrannus Syracusarum, Messenios Peloponnesi, Zacyntho et Naupacto, ubi consederant, a Lacedaemoniis ejectos, receperat iisque cum aliis Messanam sedem assignaverat. Qua re quum iram Lacedaemoniorum excitasset, *χωρίον τι τῆς Ἀβακαινίνης χώρας ἀπετέμετο* idque Messeniis habitaculum concessit. Qui Tyndaridem condunt gemino sese attollentem Lacone, v. Diod. Sic. XIV, 78., quod factum est Olymp. XCVI. Ex quo exemplo denuo intelligitur, quam impudentes dicam an pii fuerint Graeci in originibus sacrorum suo-

rum confingendis et in antiquitatis longinquitatem removendis. Sed alium praeter Tyndaridem novimus locum, quo Orestem confugisse ferebant. Vib. Seq. de fluv. p. 16. Oberl. „*Phacelinus Siciliae juxta Peloridem, confinis templo Dianae.*“ Quod flumen hodie Nuciti vocatum nomen a Dianae cognomento ascivit. Oppidum juxta flumen in litore exstructum a sancta Dianae suae religione nuncupatum Artemisium fuit, Appian. bell. civ. V, 44, qui *πολίχνην βραχυτάτην* vocat. Non nimis tamen tenuem locum fuisse, inde efficitur, quod bello Punico altero mille militum manum comparavit, Sil. Ital. XIV, 261. Situm autem oppidum fuit Mylas inter et Naulochum, Cluver. Sic. antiq. p. 306.

Quis Artemisii conditor exstiterit, quantum cognovi, diserte traditum non est. Sed, si quid video, ipsa haec fabularum involucra originem civitatis certissime coarguunt. Mihi enim persuasum est, ita sentiendum esse, ut Dianae religionem a matre Rhegina eo commigrasse statuamus. Nam communio cultus Deorum ubique firmissimum documentum cognationis. Quid, quod illi homines eo progressi sunt, ut ne lustrationem quidem a se alienam censerent? Cujus rei fidem facit Serv. praef. Virgil. Bucol. p. 95., qui Rhegii immemor Orestem tempestate ad Siciliam delatum completo anno Dianae festum celebrasse tradit. Quod complesse annum dicit Orestem, intelligit *ἐνιαυτὸν* Apollineum in purgandis homicidis solennem. Neque tamen hinc colligitur, Apollinis cultum cum Diana eo propagatum esse. Haec si vere et ordine disputata sunt, certe unam coloniam lucrati sumus ex numero earum, quas multas Rhegium deduxisse fertur. Strabo l. c. *ἐπιφανῆ πόλιν οὖσαν καὶ*

πολλὰς πόλεις οἰκίσασαν — *κατέσκαψε Διονύσιος*. Ex quibus, quod sciam, ne una quidem adhuc vetustatis situ liberata et in vitam revocata erat. Quibus colonis antistites sacrorum Rhegini, quos Messenios fuisse declaratum ivimus, adjunxisse putandi sunt, qui sacrorum patriorum ritus et religiones instaurarent. Conjicere licet, Rheginos navibus validos et mercatura florentes stationem navium isto in litore condidisse, donec deductis colonis oppidi moenia surgerent. —

Quoniam autem Apollinem cum Diana apud Rheginos artissimo vinculo nexum deprehendimus in caussa Orestea, nefas videtur, sororem a fratre avulsam commemorare unam, silentio mandare quae satis multa nec injucunda cognitu de Apollinis religione apud Rheginos transmiserunt veteres auctores. Quae breviter perstringere placuit.

Stato tempore legationes sacras Rhegini Delphos mittere soliti, uti aliae coloniae fecerunt. Varr. ap Prob. „Cujus (sc. templi Apollinis ab Oreste exstructi) loco Rheginos quum Delphos proficiscerentur, re divina facta, lauream decerpere solitos [9]), quam ferrent secum.“ Pro *loco* emenda *luco*. In tali legatione accidisse videtur id, quod ex Timaeo referunt Strabo l. c. et Antig. Caryst. hist. mir. I. et quos ibi laudavit Niclasius. Aristonem enim Rheginum et Eunomum Locrensem Epizephyrium citharoedos venisse Delphos, ubi ex antiquo inde tempore certamina musica committebantur., v. Plut. quaestt. symp. II, 4, 1. Quibus quum

---

9) Notabilis structurae variatio: *„dicitur purgatus Orestes, ibique diu fuisse ensem, — Rheginos solitos.“*

de sorte [10]) controversia oborta esset, Aristo *οὐκ ᾤετο δεῖν ἐλαττοῦσθαι, τῆς ὅλης Ῥηγίνων ἀποικίας ἐκ Δελφῶν καὶ παρὰ τοῦ θεοῦ γεγενημένης*, ut ait Antigonus. Strabo: *ἱεροὺς γὰρ εἶναι τοὺς προγόνους αὐτοῦ καὶ τὴν ἀποικίαν ἐνθένδε ἐστάλθαι.* Rixae quomodo sedatae sint, lege apud ipsos scriptores. Quod Aristo *ἱεροὺς* majores Delphico Deo pronunciavit, Chalcidenses propius tangit, quam Messenios. Ceterum inter Locrenses et Rheginos mature effloruisse videtur poesis laetissime eaque ad honorem Apollinis et Dianae comparata. Hinc plura nominantur poetarum nomina, qui paeanes conscripsisse feruntur et plerique quidem Locrenses perhibentur fuisse. Ut Xenodamus, Xenocritus, Plut. Mus. 9., Erasippus, Heracl. Pont. 29. coll. Boeckh. Expll. Pind. p. 197. Id genus poesis ut excolerent, hanc exstitisse caussam dicit Aristoxen. in vita Telestae Selin. ap. Apoll. Dyscol. hist. mirabb. 40. Mulieribus enim, ut fit interdum, furor incidit, ut saepe coenantes mensis relictis, tanquam vocatae ab aliquo, confestim baccharentur, et nullis flectendae rationibus extra urbem evagarentur. Locrensibus autem et Rheginis de sedando furore oraculum consulentibus, imperavit Deus, canerent *παιᾶνας ἐαρινοὺς δωδεκάτης ἡμέρας ξ. ὅθεν πολλοὺς γενέσθαι παιανογράφους ἐν τῇ Ἰταλίᾳ.* Mirum videri debet et singulare, quod poetae paeanum Locrenses fere dicuntur fuisse, quibus certum est

---

10) Etiam in relicuis certaminibus Pythiis sors certandi ordinem definiebat, v. Heliod. Aeth. p. 161. Bourd. Aristo flagitavit igitur, ne arbitrio sortis ordo certantium citharoedorum committeretur, sibi primas vindicans.

neque Apollinem neque Dianam cultos, ad quos antiquioribus temporibus unos spectabat paean, v. Procl. Chrestom. p. 523. ὁ παιὰν τὸ παλαιὸν ἰδίως ἀπενέμετο τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῇ Ἀρτέμιδι ἐπὶ καταπαύσει λοιμῶν καὶ νόσων ᾀδόμενος. Quare quum in isto Italiae inferioris tractu Rhegini Apollinis religio sanctissime obiretur et Rhegini cum Locrensibus eodem infortunio laborasse dicantur, facile adducor, ut omnibus illis poetis, qui paeanum auctores exstiterunt, Apollinem Rheginum cum sorore celebratum censeam. Quam sententiam ut foveam, movent me et alia et narratio ap. Paus. V, 25, 1. Refert enim, Messanos Siciliae ex more antiquo κατ' ἔτος (intelligendus videtur annus Apollineus) chorum puerorum, numero XXXV. trans fretum mittere solitos ad festum aliquod Rheginorum domesticum concelebrandum iisque καὶ διδάσκαλόν τε ὁμοῦ τῷ χορῷ καὶ ἄνδρα αὐλητὴν adjunxisse. Procul dubio ad Apollinem et Dianam haec solennitas spectavit, quo et ἔτος illud ducit et numerus puerorum XXXV. Discimus ex hac memoria, primum quam illustris fuerit religio Apollinis Rhegini; deinde, quod non exigui momenti est, ab antiquis temporibus hos homines cantibus choricis usos esse. In quibus festis num praeter paeanes usi sint iis carminibus, quae a Stesichoro Himerensi aliisque idem genus carminum secutis conscripta fuerunt, neque refellere neque licet affirmare. Ii certe turpiter errarunt, qui illa carmina heroico-lyrica non choro acta putant, sed a poeta ipso ad citharam decantata.

In numis Rheginorum insignia comparent Apollinis cortina, tripus, lyra, pharetra, rell., v. Eckhel. doctr. num. I. p. 181. In marmore III. ap.

Morisan. multi praeter prytanes, archontem pentaetericum, symprytanes, nominantur homines sacris Apollini faciundis, *ἱερόσκοποι*, *θύτης*, *ἱεροσαλπίστης*, v. Poll. IV, 87., *ἱεροπαρέκτης*, *σπονδαύλης*, *tibicen libationibus accinens*, v. Salm. ad scrr. hist. Aug. p. 493., Mar. Victor. p. 2487. Putsch., et qui maxime mirus videri debet, *καπναύγης*, modo sincerum nomen est, *ὁ τὸν καπνὸν αὐγάζων*, de quo genere observationis voluntatis divinae v. Eur. Suppl. 211., Helen. 745. Sed satis de his omnibus exposuit et Morisanus et Burmann. in Dorvill. Sic. II. p. 560 sqq. Docet autem ille lapis, diutissime Rhegium et sancte servasse religionem Apollineam; Romana enim tempora praefert. Nam dum relicuae civitates magnae Graeciae olim florentissimae fere barbaram speciem induerant, Rhegium in paucis pristinum statum incolumem retinuit, v. Strab. Neque negligendum est, quod Rhegium Phoebea nuncupata est, quum a Dionysio priore diruta ex parte instauraretur a filio; quod nomen insigni Phoebi Apollinis venerationi deberi, in aperto est.

Revertamur ad Dianam. Templum extra urbem situm, Thuc. VI, 44. *ἔξω τῆς πόλεως στρατόπεδον κατεσκευάσαντο ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ.* Rhegii, Tyndaride et Artemisii Phacelinae nomen gestasse demonstravimus eam, quae apud Messenios et Lacedaemonios *Λυγοδέσμα* fuit. Apud Graecos quidem scriptores eos, quos superstites habemus, non reperitur vocabulum; Latini Grammatici Latinam rati originem a vera radice indaganda deflexerunt.

Quanquam aliquid ut viderent, casu factum est. Descendit a voce *φάκελος*, *φάκελλος*, quod

Grammatici explicant δεδεμένον φορτίον, v. Muncker. Anton. Liberal. 27. Quum autem Phacelinae, Phacelitidis nomen in una Italia et Sicilia usurpatum videamus, sponte subnascitur suspicio, annon Siculum illud vocabulum sit. Neque obstat huic sententiae, quod optimi quique scriptores posthac eo utuntur, ut Herod. IV, 62. φρυγάνων φάκελοι, v. Valcken.; Thuc. II, 77. ὕλης φακέλλοι. Grammaticos Latinos a *fascibus* originem repetentes vocis torsit maxime locus Lucilii poetae, in quo prima correpta opus est. Is igitur in III Saturar. ap. Prob. et Pomp. Sab. Aen. II, 116. ita loquitur:

Et saepe quod ante
Optasti, freta Messanae et Rhegina videbis
Moenia, tum Liparas Fascelinae templa Dianae.

Apponit Pomponius: *Vel extrito s pronunciavit, vel, ut alii volunt, Facelitis a facibus dicta.* Muncker. l. c. ita labanti versui succurrit, ut Facelitis rescribat; Heynius ad Donat. p. XCII. *Facelinae (et) templa*, alia tentarunt alii. Non est dubium, quin sincerum sit, quod legitur aqud Pompon. *Liparam et Facelinae t. D.* Liparam enim fere unam ex insulis illis Aeoliis nuncupant, rarius omnes Liparae vocatae, v. Dorvill. Sic. I. p. 20. Ad faces confugerunt Grammatici syllabarum modulationem expedituri: cordatiores qui essent, merito repudiarunt, Serv. Aen. II, 116. et Hygin. 261. „*non tantum a face, cum qua pingitur, propter quod et Lucifera dicitur.*“ A face tamen nomen derivavit Cluver. Sic. ant. p. 306., qui φάκελος nostrumque *fackel* non diversa vocabula ratus est. Perperam. Quanquam satis constat de Diana σελασφόρῳ, φωσφόρῳ, et alias et in multis urbibus

Siculis culta. Quae ab hoc loco alienissima est. Apud Sil. It. XIV, 261. quum olim legeretur *sedes Fascelinae divae* Cluverius correxit *sedes Facelina Dianae*. Quod quam recte factum sit, cod. Colon. documento est, in quo *Facelina* repertum. Alia flexura *Phacelina*, nam ita scribendum est, *Phacelitis* vocata est. Unde apud Probum est *Fascelitim*, quod et Probo relinquendum est et relicuis Grammaticis hominibus, de origine vocis falsis. Apud Serv. in Aen. l. l. *Unde et Fascelis dicitur* quum dissideant libri, exhibentes illi *faceris*, *facelis*, *facilis*, *fascilis*, *Phacelidis*, tutissime ibimus, si reposuerimus *Fascelitis*, quum idem Serv. altero loco in Bucol. p. 95. *Fascelitidis* scriptum reliquerit. Ex quibus omnibus consectarium est, Dianam eam, quae Grammaticis Fascelina, Fascelitis est, Rheginis et Siculis fuisse Phacelinam et Phacelitidem.

Caussam cognominis Grammatici inde duxerunt, quod Orestes fasce lignorum involutam effigiem ex Scythia attulisset. Ita ut putarent, vel originatio nominis fecit, vel sacra aliqua fama. Ex simili nominis scrutatione pullulavit Pausaniae originatio nominum Λυγοδέσμας et Ορθίας. Spectat nostrum nomen potius ad festorum ritus dierum et consuetudinem sacram ex natura Deae oriundam. Docet enim Λυγοδέσμας nomen, simulacrum Deae solitum esse lygo, vimine, circumligari vel coronari. Ad quem ritum declarandum Creuzer. commentatt. Herodot. p. 246. advocat Dionysum *περικιόνιον*; nam Osirim, censeo, mittimus. Hippolytus apud Euripidem in cognomine fabula v. 72. Dianae suae offert corollam *ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος*. Auctor est Philochor. apud Scholl. in eum locum, *τὴν ἐν*

Αγραις Αρτεμιν τῷ λύγῳ [12]) στέφεσθαι. Ut lygus, ita ἄγνος, vitex, Deae sacra, haudquaquam ob castitatem, ut vult Schwenk. etym. — myth. Andeut. p. 221., sed ob indolem Deae Λιμνάτιδος, palustris. De cujus Deae castitate non nimis bene sensisse veteres, Alphei amor docet in Dianam fluvialem. In palustribus regionibus enim vitices laetissime efflorescunt et primo vere luxuriantur ramusculis. Quibus et effigies Deae circumvolvebatur et homines rustici tempora sua redimibant, v. Welcker. Trilog. Aesch. p. 52 sqq. Videmus Deam hanc nostram cultam in portubus, unde Λιμενόσκοπος vocata, juxta flumina, ποταμία, Αλφειῶα in Elide et Ortygia, ad lacus, in regionibus Λιμναζούσαις, stagnantibus. Ex quibus redundat, fuisse numen ex humore terrae et aquis vigorem naturae et agrorum fertilitatem et pecorum valitudinem ministrans. Ita etiam Pan et ἄκτιος fuit, Theocr. V, 14., et Λιμενίτης, Lobeck. Soph. Aj. 694. Hinc loca illa Peloponnesi, cui haec Deae indoles maxime adhaerebat, v. Mueller. Dorr. I. p. 375., vocata Λίμναι a Dea ipsa, hinc delubrum Deae Rheginae extra moenia oppidi, forsitan in litore vel ad unum ex fluviis illis septem, quod vero simillimum videtur, hinc et Tyndaris et Artemisium urbes in litore, juxta fluvios; is, qui erat apud Artemisium, a Diana illa Phacelinus appellatus. Nec dubito, quin Hesych. Glossa, quae Dianam

---

11) Vulgo λόγῳ. Emend. Schwenk. l. c. Eadem corruptela inhaesit olim frgm. ex Aeschyl. Sphing., ἐκ Προμηθέως λόγου, dudum sublata ab Heynio. Eaque correctio ita certa est, v. Welck. Trilog. Aesch. p. 44 sqq.. ut Dindorfium mirer, vulgatam tacite servantem, v. frgm. Aesch. 219.

Ἐλείαν Messeniis asserit cultam, referenda sit ad Limnas agri Dentheleatis. Hinc, quum Dea agrestis et pastoritia evasisset, lacte et caseo, rusticorum hominum muneribus, donata dicitur, v. Probum l. c. Illam autem Deam cur veteres ex Taurica oriundam judicarint, hae videntur caussae fuissae; nam num vere inde simulacrum ad Graecos pervenerit, in incerto relinquo. Veteres Graeci quum ex antiquis temporibus accepissent, prisca aetate ferae Graeciae exstitisse Deam crudelem, Dianae nomine insignitam, humano placandam sanguine, illam sibi persuaserunt non in Graecis regionibus natam, sed ex Taurica terra advectam, postquam, ubi commercio Graecorum illa loca patere coeperunt, ibi saevam aliquam Deam cultam intellexerunt. Traducta vero Graecia a vetusta morum ferocitate ad mansuetudinem vitae communis, Dea quoque videbatur deposuisse indolem barbaram factumque numen viridis naturae earumque regionum, quae ob fertilitatem conspicuae pascendis gregibus maxime idoneae haberentur. Egregie hanc nostram de indole Deae sententiam firmat, quod Ὀρθωσία (quam ex Taurica repetebant) Diana fuit apud Megarenses eademque Λιμενῆτις, v. Welcker. Theogn. 727. Et scintilla certe veri latet, opinor, in perplexa hac narratione Acronis ad Hor. I. carmm. 7, 10. „*Post matricidium Orestes cum fureret, adiit oraculum de sanitate: oraculum respondit, sic eum posse sanari, si Dianae Scythicae de Taurica simulachrum auferret. Profectus itaque est. Ubi soror ejus sacerdos, quae advenas immolabat, agnovit fratrem et pepercit illi, interrogavitque, cur venisset; ille indicavit. Abstulerunt inde simulachrum, simul soror secuta est. Delati*

sunt ad Italiam et collocaverunt in nemore Aricino simulachrum et consecraverunt nemus. Post haec Italis immite numen visum est et asperum, miseruntque ad orientem simulachrum, quod Lacedaemonii susceperunt, et ne aut crudelitatem, aut sacrilegium facerent, statuerunt hi, ut juvenis aras ascenderet et superimponeret manus et tamdiu loris caederetur ab alio juvene, quamdiu sanguis de vibicibus in aram manaret et satisfaceret numini.“

Pauca eorum omnium, quae ab asperitatibus temporum nobis concessa disputationi huic profuerunt, haberemus cognita, nisi placuisset Grammaticis ad hujus Deae sacra referre origines carminis bucolici. Postquam autem Oresteae fabulae indolem Dianaeque illius naturam ex mythorum involucris explicavimus, videamus, num forte inde derivare liceat, quae multifariam obscuras veterum narrationes circa hanc rem illustrent. Creduli profecto est, temere talia amplecti omnia; turpius ille peccat, qui ejusmodi fabellas fundamento historico destitutas ratus tanquam commenta in cerebello istorum hominum nata superbe damnat atque rejicit. Primum ex narrationibus Grammaticorum, quae huc spectant, intelligimus, primordia bucolici carminis referri ad eas urbes, quas Messeniis habitatas sacra Dianae Phacelinae habuisse docuimus, Tyndaridem, Artemisium, *ἐν Τυνδαρίδι τῆς Σικελίας πρῶτον ᾀσθῆναι λέγουσι τὰ βουκολικά*, Schol. Theocr. Iidem tamen Grammatici aliorum referunt sententiam, qui fabulam Orestis incredibilem rati, opinor, Syracusis ortum traxisse carmen bucolicum voluerunt, ob Theocritum puta Syracusanum, qui, si non primus ad artis praecepta id genus cantilenas revocavit, maxi-

mam tamen consecutus est celebritatem inter idem ausos. Bene autem factum, quod et illi, licet incredibilia fabulati et secum repugnantia, ad sacra Dianae, quam Λύην Diomedes, Probus Λυαίαν nominat, primordia carminum alligant. Quam autem fingendi lubido in his narratiunculis grassata sit, hinc elucet. Nam Gramm. Theocrit. l. c. loquitur de turbis civilibus, quae Syracusas agitarint, universe, quibus compositis laeti homines rustici Deam illam cantilenis suis ornaverint. Posteriores Grammatici in eo non acquiescebant: certum aliquod tempus fixerunt, quod ad illam consuetudinem ansam dedisset. Igitur Probus dicit, quum ante Gelonis tyrannidem lue pecora interissent Syracusis, institutam Dianae religionem essse. Diomedi Gr. III. p. 144. Berwald. placuit aliud temporis momentum, aptius illud visum ad carmina pastoritia instituenda. *Antequam Hiero rex Syracusas expugnaret, morbo Sicilia laborabat, variis et assiduis ceremoniis Dianam placantes, finem malis invenerunt; eandem Lyen cognominaverunt, quasi solutricem malorum. Inde res in consuetudinem tracta est, ut greges rusticorum theatrum ingrederentur et victoriam canerent.* Praeter has narrationes exstat alia apud Diomedem et Probum, contorta quidem illa, sed quae vestigia veri tegat. Aptant enim primordia carminis bucolici ex cantiunculis rusticis a pastoribus Laconicis decantatis, quum virgines, sacra celebrare suetae tumultu bellico fugissent, in honorem Dianae Caryatidis. Verum illud videtur, quod studiis Grammaticorum deflexum est, Dianam in montibus et regionibus semotioribus terrae Laconicae (addo et Messeniae) Deam pastorum solitam esse festis diebus istius-

modi hominum rudibus quibusdam cantilenis concelebrari, v. Muell. Dorr. II. p. 346. Id quum Grammaticorum captum excederet, qui de choris virginum exaudivissent, maximeque de nobilissimis illis Caryatidibus, Dianam choris et cantibus veneratis, in promptu erat, fingere caussam, qua impeditae fuissent virgines, quominus munus suum exsequerentur. Ejusmodi autem temporis articulum quum circumspicerent, quo tota fere Graecia mota bellicis turbis esset, nullus occurrebat commodior, quam quum Xerxes barbarorum copiis universam Graeciam infestasset. Nam hoc tempus ponunt ansam dedisse cantiunculis illis hominum agrestium.

Quibus diligenter excussis, ita judicandum esse reperio. Dorienses illi Messenii in patria ita, ut Lacedaemonii, Dianam illam agrestem diebus solennibus vel choris virginum celebrabant vel cantilenis rusticorum: eandem consuetudinem propagabant coloni in Siciliam. Ubi pastores indigenas Siculos, quorum hominum mentes ad talia inclinabant, maxime hunc morem secutos apparet ex eo, quod Grammatici ἐπιχωρίους vel nautas et pastores ab Oreste convocatos primos hanc consuetudinem praeivisse referunt. Quum autem Orestem imaginem illius Deae in eas sedes attulisse sibi persuasissent, non poterant non origines carminis pastoritii et ipsas ad eundem Orestem referre. Haec necessaria consecutione profluere videbantur ex his fabellis ignorantia Grammaticorum depravatis. Ex quibus si certe nonnihil veri extricavimus, sufficiat in praesens. —

THESES.

Ad viros humanissimos, qui adversantium partes amice susceperunt, accedet

HENR. AHRENS, Phil. Dr.,

SOCIET. PHILOL. OLIM SODALIS.

qui quod hoc tempore hanc urbem invisit, per mihi gratum accidit.

I. Orestis fabula cum religione Apollinis et Dianae Rhegium et in Siciliam commigravit per colonos Messenios.

II. Arsis sine thesi nulla est.

III. Sedes Nestoris Homerici Pylus Messenia.

IV. Ibycus poeta non interfectus Corinthi.

V. Trilogica fabularum compositio Aeschylo consueta.

VI. Polycrates major, Sami tyrannus, figmentum est.

VII. Gerundium Latinorum nunquam passivo sensu usurpatum.

VIII. In Aesch. Agam. 869. lego: *νῦν ταῦτα πάντα τλᾶσα παντλήτῳ φρενί.*

IX. In Aesch. Suppl. 263. lego: *γαῖα μηνίτης δάκη.*

X. Aristophanis Pax acta Ol. 89, 3.

XI. Oedipus in fabula Aesch. Septem c. Theb. mortuus fingitur.

XII. Non est vere profecta a Lysia oratio illa in Phaedro Platonis.
